



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Commentaria Vetustissima & profundissima Super Canticvm Canticorum Salomonis Qvod Hebraice Dicitvr Sirhasirim

Wolbero <de Sancto Pantaleone>

Coloniae Agrippinae, 1630

Versvs II. Dentes tui sicut greges tonsarum, quae ascenderunt de lauacro,
omnes gemellis faetibus & sterilis non est inter eas

urn:nbn:de:hbz:466:1-10027

Vnde & dicitur , quia *capilli isli sunt sicut greges caprarum*, quia in singulis professionibus sunt quidam greges , coadunate multitudines, greges quidem quantum ad ordinū diuersitates, siue ad Ecclesias particulares, vnus autem grex, quantum ad fidei vnitatem & Ecclesiam vniuersalem. Greges verò sunt caprarum quia omnes Ecclesiasticae professiones , licet inter se differentes propter varias ordinum qualitates, semper tamen pari intentione ad vnum spectant finem dum omnes caelestia appetetes , suo quique modo adhærent Deo.

Professiones Ecclesiasticae cur vocentur greges caprarum quia ascenderunt de monte Galaad.

Galaad interpretatur aceruus testimonij, & significat sacram Scripturam.

Pf. 18.

Sanctorum Patrum institutio, aceruus testimonij est.

Qualium verò caprarum ? *qua ascenderunt*, inquit, *de monte Galaad*. Galaad dicitur aceruus testimonij, quis autem est iste aceruus testimonij, nisi collectio quaedam & summa diuinarum scripturarum siue institutionum à sanctis Patribus ad utilitatem & honestatem Ecclesiae cōscriptum ? Quid enim est sacra scriptura nisi quidam aceruus testimonij vbique prædicantis & testificantis de Christo ? de quo testimonio canitur in psalmo , *testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis*. Paruuli quippe, id est humiles testimonium sanctæ scripturæ intelligunt, cui dum credendo & bene viuendo obaudiunt sapientes fiunt, summa enim Philosophia est optimus viuendi modus. Institutio quoque sanctorum Patrum quidam est aceruus testimonij, quia dum hoc legitime obseruatur, obserua-

toribus suis ad vitæ honestatem testificatur.

Capilli ergo sanctæ Ecclesie sicut greges caprarum quæ ascenderunt de monte Galaad, quia multitudines subditorum quotidie proficiunt testimonijs sanctarum scripturarum, & suorum præpositorum institutis ad communem viuendi ordinem sibi præfixis.

VERSUS II.

Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro, omnes gemellis foetibus & sterilis non est inter eas

Tertio loco ponitur, *dentes tui sicut greges tonsarum quæ ascenderunt de lauacro, omnes gemellis foetibus, & sterilis non est in eis.*

Dentes vt præscriptum est, non absurdè possunt accipi sacrae Scripturæ expositores, quia sicut dentes cibos conterunt, ita Sancti expositores in diuinis Scripturis, litteræ grossitudinem in spiritualis sensus redigunt, subtilitatem, vt quæ in superficie intelligi non poterat, per hos dentes quasi commolita, facilius in ventrem intelligentiæ transeat.

Tertiana pulchritudinis membrum sunt dentes. Dentes sacrae scripturæ expositores in Ecclesia sunt.

Expositores scripturæ cur assimilentur gregibus tonsarum ascendenti-um de lauacro.

Sed quare isti *dentes sicut greges tonsarum quæ ascenderunt de lauacro* ? videlicet propter expeditum à sæculi negotijs animum, & à terrenæ actionis puluere diuini Spiritus fonte ablutum. Neque enim possunt ad tantæ intelligentiæ

T 2 subti-

Psal. 35.

subtilitatem proficere, nisi huius mundi curis quasi quibusdam oneribus depositis, & toto corpore interioris hominis loto fonte illo diuinitatis, de quo dicit Psalmista Deo, *torrente voluptatis tua potabis eos, quoniam apud te est fons vite.* Et quid ista ablutio siue potatio conferat utilitatis insinuat, dum subdit, *& in lumine tuo videbimus lumen;* ac si patienter dicat, te lumen scientiæ nobis infundente, obscura diuinę Scripturę intelligemus.

Dentes ergo Sanctę Ecclesię sunt quasi greges tonsarum quę ascenderunt de lauacro, quia sacrę Scripturę tractatores quod magis fuerint à terrenis actionibus expediti, & lauacro diuinę inspirationis expurgati, eò fortius frāgere & subtilius terere valent totam veteris & noui testamenti literalem soliditatem.

Allegoricus enim siue moralis sensus competenter & utiliter profluens ex literali superficie sanctarum Scripturarum decens candor & quasi alliciens pulchritudo istorum est dentium.

Cur dentes
expositorū
Sacrę Scri-
pturę om-
nes gemillis
fœtibus &
sterilis non
esse inter
eos dicatur.

Vnde & subditur, *omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eos.* Quid sunt enim istorum gemelli fœtus, nisi aut sanctarum Scripturarum, quę expositione quasi confringuntur duplex sensus, videlicet allegoricus & moralis, aut duorum testamentorum cognitio, aut geminę charitatis exhibitio? Nam cum triplex sit sensus in toto corpore di-

uinę Scripturę, historicus scilicet, allegoricus, & moralis, vbicunq; historicus exponitur, in aliquamistarum duarum partium, allegoricam scilicet aut moralitatem resoluitur, plerumq; in vtrarumq; partium sensus, vnius eiusdemq; historię redigitur intellectus, ita vt nonnunquam quod historia sonat, non nisi mysticę intelligi debeat. De quo triplici sensu diuinę Scripturę dicitur, *scribe ea tripliciter in corde tuo.* Duorum vero testamentorum quasi gemellis ditantur fœtibus, quia quicquid exponunt vel de veteri vel de nouo testamento assumunt: Porro geminę charitatis fœtibus multiplicantur, quia ad laborem exponendę sacrę Scripturę trahit eos amor Dei, quem in ipsā Scripturā delectabiliter sapiunt; amor quoq; proximi, ad cuius utilitatem hanc sibi occupationem libenter assumunt.

In quibus est nulla horum gemellorum fœtuum sterilitas, quia omnes quos terrenę actionis pondus non grauat, & diuini Spiritus fons saluberrimus lauat, possunt delectabiliter hac geminā intentione, materiā, dilectione, in exponendorum librorum negotijs vacare; intentione ad allegoriam & moralitatem, materiā ad vetus & nouum testamentum, dilectione ad Deum & proximum respicientes.

Duo testa-
menta duo
gemilli fœ-
tus.

Quar-